

OPUSCULUM QUARTUM
ORATIO APOLOGETICA PRO D. THOMA

ET ALTERA

ORATIO THEOLOGICA DE SS. TRINITATIS FESTO SOLEMNI
TELEBRANDO.

QUARUM argumenta exhibent tituli & præfationes. Illas sub uno numero cum prioribus potius sem recensere, ponendo: *Orationes Theologicae sedecim*, sed visum est eas separatim addere; tum quod auctor eas separatim ediderit; tum quod speciales & plurimum Doctorem habeant approbationes. Istitis Orationibus an aliis tredecim (quas ad calcem Resolutionum rejeci) jungi deberent, aliquando anticeps hæsi; sed vicit ratio illas cum Resolutionibus, jungendi quam ibidem reddo Lectori.

OPUSCULUM QUINTUM

CONTROVERSIAE FIDELI.

REVOKES quidem, sed doctæ, solidæ, & modestæ in quibus Auctor prodit zelum ardentissimum pro Ecclesia Sancta Dei, & visibili ejus in terris Capite Summo Pontifice. De quo Lib. 4. q. 2. art. 8. ita ait: *Responsio fidei certa est Romani Pontificis iudicium in rebus fidei determinandis esse infalibile; ita ut quando ex Cathedra definit, sive quando ut Pontifex proponit Ecclesie quidpiam fidei credendum, nullo casu possit errare, sive cum Generali Concilio definit, sive sine illo*, Et art. 9. *Responsio probabilior est, fidei certum esse quod iste homo quem Ecclesia ut Pontificem recipit, ac veneratur, v. g. Urbani VIII. sit verus Christi Vicarius, Petri Successor, & Romanus ac Summus Pontifex, idque non solum quando quidpiam definiunt fidei tenendum, sed etiam ante; postquam scilicet est electus, & ab Ecclesia pacifice receptus ac assumptus ad Pontificatum*. Ubi si quisbus forte non probatur dici ista esse de fide, attendant quæso Auctorem non loqui de fide obligante, sic enim ipse similes expressiones interpretatur in Resolutionibus Verbo *Sanctorum Invocatio*, ubi sapientissimè monet: *Id quod unus atque alter Doctor censet esse fidei, non idcirco esse fidei, vel certum fidei dogma, quando Ecclesia nihil super ea re definit, neque est constans aliorum Orthodoxorum sententia, quod hoc ad fidem pertineat*. Controversiis Fidei subiungitur

APPENDIX DIVERSARUM HÆRESEON.

IN quæ omnes hæreses ab Ecclesie exordio ad sua usque tempora exortas ordine Alphabetico recenset, locaque indicat suorum Commentariorum in summam Theologicam D. Thomæ, in quibus ipsas hæreses solide refutat: ut merito Appendix ista haberi possit loco vastissimorum Voluminum de Fidei Controversiis.

OPUSCULUM SEXTUM

RESOLUTIONES VARIÆ.

ORDINE quidem Alphabetico ab Auctore digestæ sunt, sed duobus tomis in quarto distinctæ: quod ita ab ipso fieri debuit ob vehementem Theologorum desiderium morarum impatientium; quibus propter Resolutiones ab anno circiter 1612. usque ad annum 1640. datas concedere debuit in uno tomo imprimendas, ac dein cæteras usque ad annum 1644. altero pariter tomo sub titulo *Secunda pars*: Ob quod tamen sic divilim impressæ Resolutiones hanc secum molestiam ferebant, ut dignoscendo quid Auctor de casibus sibi aliquando propositis, de Beneficiis v. g. Horis Canonicis, Simoniâ, Usura, &c. resolveret, uterque tomus esset consulendus; quod, ut notum est expertis, nonnullam temporis jacturam pariebat, & plusculum laboris. Ideoque Titulos omnes ad idem verbum pertinentes, in duabus partibus Resolutionum divisos, & ab invicem separatos in unum coegi, & sub uno Verbo ordinavi, ut in ipso ferè Resolutionum litine videre est ad Verbum *Abbatissa*, quod cum unicum esset in 1. parte Resolutionum, duo autem essent in secunda; nunc tria sunt ordine suo disposita. Similiter Indices tum Scripturæ Sacræ, tum Rerum præcipuarum prius distinctos & separatos in unum reduxi. Quo in labore, insignem quoque operam navavit ipse Bibliopola me præeunte ac dirigente. Tandem Præfationes duas, in duabus partibus Resolutionum præfatas, hæc una præfata (*Ideoq.*) nexui, & in unam Præfationem coalescere feci, ne vel uno apice addito præterea. Sicut & Approbationem quæ erat pro secunda solum parte, utrique parti feci communem; cum enim Anticeret Approbator, *Varias hæc Resolutiones in 2. parte comprehensas, exquisito, perspicaci &c. positi* sic: *Varias hæc Resolutiones, exquisito, perspicaci &c.* Et quidem ex mente Approbatoris, cum ipse idem priorem partem Resolutionum approbaverit, adeoque omnes.

Quod attinet ad ipsarum Resolutionum doctrinam, jam supra monui, nunc non esse institui mei de Auctoris doctrina morali decernere, sed dumtaxat laboris mei reddere rationem, & subinde nonnullorum Opusculorum compositionis occasionem argumentaque paulo magis aperire. Hoc tantum generaliter observo de Sylvio (sicubi molliora tradere videtur) istud dici posse, quod aliquando Sanctus Bonaventura in Breviloquio p. 3. c. 5. de Divo Augustino *Plus dixit, & minus intelligi voluit*, quod mihi